



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1862

LXXXV. Ludolph und Henning von dem Knesebeck und Wasmod, Ludolph`s
Sohn, verkaufen einen Hof in Jubar an das Kloster Isenhagen, am 7. Juni
1338.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55716)

LXXXIV. Des Klosters Dießdorf Bekenntniß über die Widmung und Verwendung von einer Mark Pfennige aus Moldenbeck, welche einige Nonnen des Klosters für vierzehn Mark Pfennige von den milden Gaben ihrer Eltern dem Kloster zu Gut gekauft haben, am 25. November 1337.

Nos Albertus prepositus Dei gracia, Elizabeth Priorissa, Totusque conuentus sanctimonialium in Dyßdorpe Notum esse cupimus in hiis scriptis vniuersis christi fidelibus presentibus et futuris, Quod quedam virgines moniales nostre congregacionis in villa moldenbeck emerunt vnam marcam denariorum pro quatuordecim marcis, quas collegerunt ex elemosinis parentum suorum et Hanc summam singulis annis officialis animarum in Natiuitate virginis beate recipiat de Area, quam inhabitat Conradus Gramis Ciuis eiusdem ville, omni impedimento procul moto. Insuper predictae virgines pia deuotione et omnimoda dilectione statuerunt, quamdiu durauerit cenobium nostrum, Tam post mortem quam in vita earum, conuentui de predicta summa ministrari quicquid pro temporis oportunitate fuerit aut potuerit promoueri Dominica die Aduentus, qua cantatur Gaudete, Quia hec dies nupcialis est, sollempnitas ipsarum qua Jhesu christo sponso virginum in vera virginitate Castitatis sunt consecrate et desponsate in matrimonio spirituali, Ipsa etiam die dicetur sociabus suis defunctis ex numero illius consecrationis psalterium cum Elemosinis vt est consuetudinis legi omnibus fidelibus defunctis. Vt igitur hec pia intentio largiflua deuotione statuta rata maneat et inconnulla, nec ab aliqua temerario ausu infringatur, Hanc paginam fecimus conscribi et nostrorum sigillorum munimine roborari. Datum anno Domini M^o. CCC^o. tricesimo septimo, in die Beate katerine virginis Gloriose.

LXXXV. Rudolph und Henning von dem Kneßebeck und Wasmod, Rudolph's Sohn, verkaufen einen Hof in Zubar an das Kloster Ssenhagen, am 7. Juni 1338.

Nos Ludolfus et Henningus, fratres, wasmodus, filius mei Ludolfi dicti de kneßebeke, Recognoscimus publice protestando, quod de consensu heredum nostrorum presencium et pariter futurorum, ex certa sciencia vendidimus iuste et perpetue vendicionis tytulo Domino Helmico preposito, Gertrudi abbatisse totique conuentui ancillarum christi in ysenhagen domum, curiam, aream in villa Jubere nuncupata, cum omni iure, aduocatia, proprietate, siluis, pratis, paschuis, nemoribus, aquis, aqueductibus, agris, cultis et incultis, et cum omni iure, quo a nostris progenitoribus nobis cessit nobis eciam integraliter perfolutis perpetuo possidenda, promittentes vna cum compromissoribus nostris, videlicet wasmodo, Hunero, fratribus, Ywano et Paridamo, fratribus et patris nostris, similiter dictis de kneßebeke, prefatis preposito et conuentui debitam warandiam prestaturos, Quod sub sigillis nostris et ipsorum compromissorum nostrorum firmiter protestamur. Datum anno domini Millefimo trecentesimo tricesimo octauo, In octaua Pentecostes.